Vc
5333

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0001-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0002-3

h. 5, 7.

V c 5333

VOTIVAM.
*SERENISSIMUM. AD. PRINCIPEM.*
*AC. DOMINUM.*
DN.
# JOHANNEM. GEORGIUM. IV.
DUCEM. SAXONIÆ.
ETC. ETC.
## REGIA. CUM. MATRE.
SUA. E. DANIA. FELICITER.
REVERSUM.
# ORATIONEM.
QVA. EUNDEM.
HUMILLIMA. SUBMISSIONE. PERORATURUS.
*ILLUSTRISSIMUS. DOMINUS.*
## DN. FRIEDERICUS. FERDINANDUS.
COMES. A. WELTZ.
*EXCIPIET.*
AD. AUDIENDAM.
*DOMINOS. SUOS. PATRONOS.*
*FAUTORES. ET. AMICOS.*
DEBITAM. OBSERVANTIAM. POLLICITUS.
INVITATOS. CUPIT.
## M. JOHANNES. VALENTINUS. MERBITZ.
DRESDENIS. SCHOLÆ. PATRIÆ.
CONRECTOR.

*DRESDÆ,*
LITERIS VIDUÆ ET HÆREDUM MELCH. BERGENII.
ANNO M. DC. LXXXIIX.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0003-8

QVi juventutis informatione tenentur, præcipuè quidem illi, quorùm publicâ autoritate munitum munus eſt, bina ferè experiri credo omnes, quæ non parum ipſos reddant ſolicitos, tædium ſanè afferant, quod præter labores omnium moleſtiſſimos animum quaſi frangat, tantum non abjicere eundem jubeat.

*Primum* quidem, quod omnes, quicunque tandem ſcienitæ aliquam ac eruditionis præ ſe ferre contendunt notam, nihil ſibi neque prius neque potius eſſe velint, quàm de Scholis, earumq́; doctoribus minùs benignè, vel in triviis verba facere. Videas hîc quaſi pro concione, alto ſupercilio ſurgentes, qui, non aliter, atq; hoc ipſis datum ſit & commiſſum negotium, in quo vires ſuas, quid demum valeant, periclitentur, magno verborum pondere recenſere ſatagunt & exponere; quomodo Scholâ planè abhorreant; liberos ſuos ubivis gentium potius habere, quovis mittere & amandare malint, quàm publicæ Scholæ eosdem committere atque credere. Nunc cœtus diſplicet diſcentium magno nimis numero collectus. Mox egenos quosvis admittendos tædet, quibus filios ſuos, liberalis ſcil. indolis, lautè educandos jungi, heu! quantùm ſordet. Tum ingeniorum abſterret varietas, è qua facilè quid, quod corrumpere *Hanſellum* poſſit, ne hauriat, meruendum. Qvæ verò & quanta ipſum præceptorem cura, vel furor tangit? à capite ad calcem, quod ajunt, audias, quæ reprehendant. Homines nempe affectibus laborant, quos vincere magnum opus eſt, tales verò naſutuli nunquam etiam ſuperare ſe voluiſſe, ſatis produnt; quorum adeò impetum conceptus iſte, nunquam non repetendus ſermo ſequitur. Fontem tamen quo hæc ordine promanant, Φιλαυτίαν & *invidiam* eſſe exactè ſentit, qui liberius paulò attendens ad virtutum & vitiorum normam ac regulam eadem hæc revocat & metitur. Infelices, quin omnium hac in vita, ordine literario, infeliciſſimos, qui ſuam horum è calculo beatitudinem obtinere debeant: abire jubeam, & quibusvis ſordidis opificiis libentius intereſſe, ad metalla ſe damnari æquiùs laturos, quam indigno tali, nec ferendo jugo perpetuò premi & macerari.

*Alterum* quod affligit, medicorum eſt hac in parte penuria. Sunt, qui morbum cum infirmitate penitus ſe cognoviſſe arbitrantur, digitoq́ue vulnus commonſtraſſe perſvaſum habent, plurimi namque, præter quod indignantur, nec quid improbent, proferre ſciunt; curam verò, quâ ſingula emendentur, rectius conſtituantur, quæ deſideres addantur, intendit nemo. Propriæ videlicet inſcitiæ & infirmitatis probè conſcii de hoc compellati ne hiſcere quidem audent, ut ſuam ibi induſtriam, & ſi Diis placet, prudentiam omnem inſumſiſſe, dixerim perdidiſſe, planè noſcas. Sic tamen informatori intactum relinquitur, quod ſuum Deus ipſe voluit, ſtudii formandi methodus, qui ſi bonus, divinâ providentiâ operi datus ſit, eidem *ut artifici ſua in arte* credendum ſcias.

Egregiam ſane ſummi & longo uſu exercitatiſſimi viri operam navarunt, publicam in lucem emittentes, quâ ratione progredi deceat, qui & tempus lucrari velit diſcipulo, & fundamenta jacere, quibus quævis ſumma ſuperſtruere liceat, citra ullum in compendio diſpendium metuendum. Qvæ aliis dicta, non eſt animus hîc repetere, veniam verò dabis, amice lector, ſi datâ occaſione, quæ circa GENEROSI & NOBILIS inſtitutionem attendenda occurrunt, qualem, quod quidem norim; GREFIO nemo melius obſervavit, in tabula paucis, velut ſpeculo intuenda ſubjiciam.

CIRCA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0004-4

**Obſervantur quædam, quæ dixeris**

- Interna, & ſpectant
  - ADOLESCENTEM ipſum, in quo requiritur, habeat
    - Ingenium bonum, vel ſaltem ad ſtudia non ineptum: quare illud ſit
      - Tractabile.
      - Sedatum.
      - Laboribus gaudens.
    - Memoriam fidam minimùm non improbam, cui ſuccurrimus
      - Uſu.
      - Labore, tùm
        - Notatione.
        - Scriptione.
    - Propenſionem ad literas, aut ſaltem non averſationem.
  - MAGISTRUM, in quo ſit
    1. Ætas juſta, id eſt, nec
       - Puer ætate.
       - Nimis profectæ ætatis.
    2. Vita probata, unde erit
       - *a.* Pius, religionis veræ amans & ſtudioſus.
       - *b.* Colens honeſtatem morum.
       - *c.* Indoli diſcipuli accommodatus.
       - *d.* Sectans elegantiam vivendi, amabilis in ſermone & aptus in actionibus.
       - *e.* Non alienæ profeſſionis.
    3. Sufficiens eruditio, & iis ipſe artibus inſtructus, quibus alios erudire debet. Id enim niſi eſt, Diſcipulus
       - Amittit tempus.
       - Cogitur pòſt dediſcere, quæ perperam didicit.
       - Nunquam ſatis bonâ fide & per omnia emendatur.
    4. Habilitas docendi. Sunt enim quidam docti
       - Sed ſibi tantùm ipſi.
       - Sibi & aliis, quatenus ſcripto doctrinam produnt.
       - Alteri, ac docendi facultate pollent: hi verò ſunt expectandi
         - NB. à Deo.
         - Conſilio bonorum
  - INFORMATIONEM. Hîc conſideranda videntur
    - Res, quat. informatio reſpicit vel
      - Sacra, & concernit vel
        - Notitiam de Deo & religione, haurienda ex
          - Catecheſi Lutheri.
          - Finckii Vade mecum.
          - Hunnii Summâ Credendorum.
          - Dieterici Catecheſi.
        - Cultum, qui inſtituendus ad manuductionem pii auctoris, v.g. Arndtii, per preces matutinas & veſpertinas, cum lectione Bibliorum.
      - Non ſacra, ubi informatio occupata eſt iis, quæ pertinent vel ad
        - *Lingvas*, quæ
          - vel ſunt
            - Eruditæ, è quibus Nobili Latina ſufficere videtur.
            - Non eruditæ, quales poſt vernaculam, quæ omninò excolenda, ſunt
              - Gallica,
              - Italica &c.
          - Addiſcuntur, tùm quoad
            - Rudimenta, quibus dantur
              - Donatus.
              - Grammaticæ regulæ potiores.
            - Elegantiam cum proprietate.

a b c

- Eruditionem cæteram: ubi patriæ conſulendum eſt, & reipublicæ. Hinc reſpiciendum
  - Non ad
    - Nugas.
    - Oſtentationem. Qvare nihili hîc *Juvenalis*, *Martialis* & ejus farinæ alii authores.
    - Lucrum.
  - Ad
    - Virtutem. Qvisque enim rectè animatus doctrinâ ac eruditione cupit conſequi, ut virtutes excolat, opprimat vitia.
    - Scopum. Inde veluti duæ claſſes, quarum complectitur
      - Una ſervientia, quæ ſunt potiſsimum
        - *Logica*, eaque ſana, quoad cognitiones terminorum & propoſitionum differentias.
        - *Rhetorica*, quæ ſit ſine diffuſa præceptorum lectione.
      - Altera principalia; è quibus
        - *Hiſtoria*, quæ vel
          - *Sacra*, diſcenda è
            - Picturis.
            - Lectione crebra.
          - *Profana*, tum
            - *Univerſalis*, cui Chronologia conjungatur
            - *Particularis*, ſua cujusq; gentis, & cum qua nobis commercia.
        - *Philoſophia*, è qua Nobili neceſſaria eſt
          - *Matheſis*, inq; ea
            - *Arithmetica.*
            - *Geometria.*
            - *Architectura*
              - Terreſtris & Navalis.
              - cùm Civilis. Militaris.
            - *Geographia* & Vetus. Nova.
          - *Phyſica.*
          - *Ethica.*
          - *Politica.*
        - *Jus*, quod vel
          - Naturæ.
          - Civile, tam
            - Publicum.
            - Privatum.
            - Gentium vicinarum.

- Tempus, &
  - Qvod inſumendum
    - Stylo,
    - Philoſophicis,
    - Juri,
    - ad annum ætatis XV. XIX. XXIV.
  - Qvo
    - Studendum, ubi
      - Mane, quæ ingenium poſtulant & judicium, tractanda erunt.
      - Poſt meridiem, quæ memoriæ beneficio abſolvuntur, ut Hiſtoria, Chronologia &c.
    - Diſcipulo conſulatur, ut ſit
      - Negotium.
      - Vacatio à gravioribus, quæ ſibi adnumerat *Exercitia*, partim
        - Neceſſaria, ut ſunt
          - *Saltatio.*
          - *Digladiatio.*
        - Jucunda, ſi ingenium invitet.
          - *Muſica.*
          - *Pictoria.*

a b

Modus

a b

**Modus.** Sit informatio

- 1. Svavis & jucunda, quæ talis redditur
  - Bonis & honeſtis artibus, confabulationis ſvavitate &c.
  - Non minis ac convitiis, clamore aut flagellis indefesſis. *Pœnæ* namque irrogandæ, quæ animum potius, quàm corpus afficiunt.
- 2. Facilis, id quod fit
  - a. Ordine ſi ſingula tractantur & bonâ methodo.
  - b. Perſpicuè ſi exponuntur.
  - c. Si non nimium feſtinabitur.
  - d. Ubi Præceptor laborem in ſe ſuſcipit.
- 3. Conſtans certaque: non uno tempore nimis rigida, altero nimis remiſſa, ſed æqualis.
- 4. Judicio excolendo accommodata. *Potius namq; memoriâ, quàm judicio carere poſſunt humana negotia.*
- 5. Repetitione traditorum creberrima.
- 6. Culturâ memoriæ legitima.
- 7. Non ſine libro aliquo memoriali, in quo notatu digna conſignentur.
- 8. Ita ut adſveſcat diſcipulus ſenſa animi primum patrio, tum latino ſermone eleganter proferre.
- 9. Sociata cum pluribus. *Solitaria enim tædioſior & tardior eſt.* Jungantur autem diſcenti ratione
  - Morum *boni.*
  - Studiorum
    - *Meliores*; qui exemplo ſtimulent.
    - Minimùm *æquales*, non tantùm reſpectu
      - Profectuum, ſed & Ingenii.

Externa, ad quæ pertinet

- *Inſpectio*, cum Examine
  - Sæpius inſtituendo.
  - Nullâ factâ denunciatione.
- *Locus*, isq; in
  - Genere, non mittantur ad exteros, ob
    - Licentiam.
    - Sumptus.
    - Ingeniorum immutationem.
  - Specie Academia.
- *Parentes*, qui
  - Sint
    - 1. Ipſi amantes diſciplinæ.
    - 2. Non faciles in audiendis filiorum de Præceptore querelis.
  - 3. Non ſubmittant occultè nummos.
  - 4. Nec præmaturè avocent Academiâ.

)( 3 Qvan-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0007-0

QVantum autem ſit, & quid præſtet, cum ſelectu, à veterum licet inſtituto, ſit deflectendum, informationi incumbere, quod ipſe privaris horis expertus ſum, abſit jactantiæ opinio, quâ me certè, qui norunt, liberant, memorabo. Traditus fidei meæ fuit puer, duodecim tunc annos natus, qui DONATO & præcipuis GRAMMATICÆ memoriæ mandatis Cornelii Nepotis lectionem fuerat orſus: Ingenio præclaro certè, attamen cui paria publicam quoque ſcholam alere, probare poſſum. Is quatuor annorum ſpatio, quo mecum vixit, hoſpitio quoque meo uſus, eos cum Deo progreſſus fecit, ut domini parentis ſui, Patroni mei honoratisſimi, aliorumq́; doctisſimorum virorum judicio dignus haberetur, qui probatis publicè profectibus, in Academiam, altioribus animum ad imbuendum, mitteretur. Hem penſum iſtius temporis, quod prævio me ductore & autore feliciter abſolvit, prout ipſemet ſub diſceſſum, quò rationem vitæ uterq; redderemus, methodi meæ obſervans conſignavit. A me igitur parumper animum avertens juvenem illum honeſtisſimum, cui quævis bona, magnum maximæ in familiæ incrementum, ut ne ullis ſeculi hujus corruptelis porro capiatur, quotidie adprecor, loqui putabis.

§:( * * * * * ):§

Qvadriennio hoc operam dedi
- PIETATI, præter conſvetas preces & Bibliorum lectionem memoriæ tradens
  - Finckii LL. Theol.
  - Articulos Aug. Conf.
- LITERIS occupatus partim circa
  - *Lingvas*, nempe
    - *Latinam*, cùm
      - Legendo, in
        - *Soluta*
          - *Comicos*,
            - Terentium.
            - Plautum.
          - *Hiſtoricos*, qui fuere
            - Cornelius Nep.
            - Cæſar. de B. G.
            - Tacit. de M. G.
            - Curtius.
            - Svetonius ex parte.

b c d e f

Cice-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0008-6

b c d e f

- *Ciceronis*
  - Epiſtolas famil.
  - Somnium Scip.
  - Lælium.
  - Orat. pro Archia.
  - Paradoxa.
- *Senecæ* quædam.

- *Ligata*
  - Horatii Odas præcipuas.
  - Virgilii nonnulla.

- Scribendo
  - *Phraſes* & *formulas* ex Authoribus ſupra dictis.
  - *Exercitia* ſtyli, cùm
    - Epiſtolaris, imitando Ciceronem.
    - Hiſtorici, quę fuere partim
      - Libera.
      - Imitationes.
    - Oratorii, quæ
      - Fabulæ.
      - Chriæ.
      - Orationes.
  - LL. Communes.

- *Gallicam.*

- *Artes*, & quæ ad cultum
  - Animi, ubi tum
    - Servientia
      - Logica.
      - Rhetorica.
    - Principalia.
      - Arithmetica.
      - Hiſtoria.
      - Geographia, junctis
        - Chronologiâ.
        - Genealogiâ.
      - Geometria.
      - Ethica.
      - Societatum è Politica cognitio.
  - Corporis,
    - Totius, ſaltando.
    - Partium,
      - Pulſando tympana.
      - Canendo Viol di Gamba.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0009-5

FKVc 5333

HÆc *Illuſtriſſimus Dominus*, DN. FRIEDERICUS FERDINANDUS, *Comes à Weltz* commentari me fecit, qui & ipſe curæ meæ concreditus & jam triennium ab ore meo pendens, publicum aliquod ſuorum ſtudiorum teſtimonium extare cupit. Cumprimis autem obſequii & devotiſſimæ ſuæ ſubmiſſionis ac obſervantiæ eſſe duxit, ſi plurimis, iisq; maximis ab *Sereniſſimo ac Potentiſſimo Electore, Domino noſtro clementiſſimo* beneficiis affectus & exornatus ſpecimen, egregii ſanè & laudabilis bonis in literis conatûs ederet, tum qua alacritate, animiq; fervore in id unicè eniteretur, teſtatum faceret, qui eam ſibi favente Numinis clementiâ facultatem comparare poſſit, ut grata aliquando AUGUSTISSIMÆ DOMUI SAXONICÆ, cui ſe, ſuaq; ad ultimum vitæ halitum obſtrictum, humillimè conſecrata, animitus exoptat, officia, ſervitia præſtare valeat, adeoq; Electorali ſe clementiæ non indignum, optimorum judicio, quo de non dubitat, comprobare, eidemq; conſtanti in ſe, porro hæc commendare, tempori & occaſioni datæ inſerviret.

Poſteaquam igitur *Regia* cum *Matre*, *Sereniſſimus Princeps ac Dominus*, DN. JOHANNES GEORGIUS IV. *Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ & utriusque Luſatiæ, Princeps autoritate Comes Hennebergenſis, Comes Marchæ, Ravensbergæ & Barby, Dynaſta Ravenſteinii*, &c. *Dominus noſter æq; clementiſſimus*, itinere, avito è regno, feliciſſimè confecto, maximo ſubditorum gaudio redux factus eſt, COMES ortam inde communem lætitiam, multo plauſu ſui ſideris fulgorem excipientium, argumento ſibi præ aliis elegit, quo de in doctiſſimorum corona, ſuo modulo verba faceret, juſtiſſimas concepti gaudii noſtri, publicas inter imperii calamitates, cauſas, quibus, dolore vicinorum non intacti, tamen efferre nos poſſemus, expoſiturus.

Omnes nempe tanto in Principe admiramur, uni à Deo collatum eſſe, quod ſingulis GLORIOSISSIMORUM MAJORUM datum fuit: quin, quo illi omnes Saxonicæ ſtirpis, nullâ cum conferendam indolem obſtupeſcentes rapiebant, ea cuncta noſtro in heröe ad miraculum obſervari conſtat. Maximum in felicitatis augmentum regia accedit ſponſa, quam ipſam noſtro Principi, aut nulli, tantum virtutis faſtigium uterque tenet, dandam fuiſſe, æquiſſimi rerum arbitri proloquuntur, poſteritati ætatem memoranda nunciabunt.

Qvi Sinenſium res ſcribunt, inter alia arborem *de Rays, Goæ* nativam, depictam exhibent, tantâ ubertate luxuriantem, ut ramos terræ denuo committat, qui & ipſi radicibus actis communem ſtipitem æmulantur, iterum alios terram appetituros protrudentes, & inſtar ſylvæ, ſæpius ad milliare Italicum, una eademq; arbor agri ſpatium occupet. Faxit divina clementia hujus in ſimilitudinem PRINCEPS NOSTER, ELECTORALIS DIGNITATIS HÆRES, florentiſſimum ſtirpis ſuæ ramum caſtiſſimo amore complectens creſcat, avitas atque paternas terras fœcunditate exhilaret, eâdem felicitate exuberaturâ. Sic feliciſſima Dania, Saxonicæ domus auctrix, fortiſſima Saxonia, Daniæ recreatrix, ultimis ſeculis ſemper habeant, quorum ſub umbra orbis gaudeat, beatitudinem ſentiat, vel ipſius mundi cum interitu concertantem.

Tu verò *maxime colende & benevole Lector*, ſi tantum honorem habiturus nobis, ampliſſimâ tuâ præſentiâ actum oratorium condecorare, & craſtinâ luce, qui dies Solis erit, Deo annuente finitis ſacris, horâ III. pomeridianâ, in Auditorio Scholæ Crucianæ majori, COMITI meo benignas aures commodare volueris, non tantum calcar eidem ad majora, cum Deo & die, ſubeunda addes, ſed & memorem promi in ſe affectûs, ſenties debitorem, eundemq; in exſolvendo, pro temporis & virium ratione promptum & unà mecum paratiſſimum cognoſces. Vale.

P. P. die 20. Octobr. Anno Chriſti 1688.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0010-7

ULB Halle 3
004 853 881

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0011-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0012-8

h. 5,7.
V c 5333

# VOTIVAM.

*SERENISSIMUM. AD. PRINCIPEM.*

*AC. DOMINUM.*

DN.

# JOHANNEM. GEORGIUM. IV.

DUCEM. SAXONIÆ.

ETC. ETC

REGIA. CUM.

SUA. E. DANIA. F

REVERSUM

# ORATIO[illegible]I.

QVA. EUN

HUMILLIMA. SUBMISSION

*ILLUSTRISSIMUS.*

DN. FRIEDERICUS.

COMES. A.

*EXCIPIE*

AD. AUDIE

*DOMINOS. SUOS*

*FAUTORES. ET.*

DEBITAM. OBSERVANT

INVITATOS.

M. JOHANNES. VALEN[illegible]Z.

DRESDENIS. SCHO

CONRECT

*DRES*

LITERIS VIDUÆ ET HÆREI

ANNO M. DC.

BIBL
PONI

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-92704-p0013-4